ADDENDA 2

ALTRO TESTIMONIO MONTEVERGINE:

Juan Eusebio Nieremberg, Trophæa Mariana seu De victrice misericordia deiparæ patrocinantis hominibus. Exquisitissimis SS. patrum sententiis, rarissimis historiis, selectissimis moralis doctrinae præceptis, ... illustrata. Opus divini verbi præconibus, ascetis, ac omnibus mariopholis perutile, ac necessarium, 1658



TROPHÆA
MARIANA
SEV
DE VICTRICE
MISERICORDIA
DEIPARÆ
PATROCINANTIS HOMINIBVS.
EXQVISITISSIMIS
SS. PATRVM SENTENTIIS,
RARISSIMIS HISTORIIS,
Selectiſſimis Moralis Doctrinæ Præceptis, ac inuſitatis per ejus ſimulachra perpetratis Miraculis mirificè illuſtrata.
OPUS
DIVINI VERBI PRÆCONIBVS,
ASCETIS, AC OMNIBVS
MARIOPHOLIS
PERVTILE, AC NECESSARIVM.
Auctore R. P. IOANNE EVSEBIO NIEREMBERGIO
Societatis IESV.

ANTVERPIÆ,
Apud Viduam & Hæredes IOANNIS CNOBBARI, ſub ſigno S. Petri.
M. DC. LVIII.
Cum Gratia & Privilegio.



Liber Sextus. Cap. XXIII. 283

Ante paucos annos quàm veneratio eſſet iſta S. Imago, contigit quendam ruſticum cum ſuâ uxore tranſire in reditu de quâdam peregrinatione, coram ſupradicta Imagine, quam brevi oratione ſalutarant. Cumque vir iter cœptum pergeret, remanſit paululùm ibi uxor, quæ dolens tam ſpecioſam Imaginem Deiparæ ibi inter urticas jacere inglorium, ſtatuit apud ſe, melius eſſe ſi eam ad villam ſuam ſecum deferret, ubi ab incolis coleretur. Quod cùm molitur, & manus extendit ad eam de muro extrahendam, ecce vox de Imagine: Deſiſte, inquit (mulier) & in meo me locello relinque: multa enim hîc brevi per me, Dei Potentia exhibebit ſigna virtutum. Ad hanc vocē mulier exanimata cecidit. Vir ejus reſpiciens cū videret eam non ſequi, ad dictam Imaginem redijt, eamq; velut mortuam reperit, quæ paulatim ad ſe reverſa eſt. Siluit autem mulier ſemper iſtud miraculum ſenſu ſui Cōfeſſarij, qui nolebat leviter mulieri adhibere fidem: nam ſi ex Deo, inquit, eſt iſta vox & revelatio, planè ſortietur effectum: verū poſt annos aliquot, cùm magnus ad Vrticetum Deiparæ fieret concurſus, plurimaq; e miracula: tunc mulier, quid olim audierit, cunctis retulit.

CAP. XXIII.

Monaſterium de Monte Virginis.

SUpra oppidū Mercuriale, quod vulgò vocant *Mercogliano*, circa fines regionis, quæ Felix Campania à bonorum omnium ubertate, dicta eſt, viſitur cœnobium vetuſtate, ac religione nobiliſſimum Montis Virginis, quod in edito deſerti, atque inculti Montis jugo, qui cæduam ad navigia conſtruenda materiam abundè ſuppeditat, conſtitutum perpetuò propemodùm riget gelu. Ejus cœnobij, ac religioſiſſimi Ordinis, qui à B. Maria Montis Virgo nomen accepit, Fundator extitit S. Guilielmus patriâ Vercellenſis, vir ſanctiſſimus, cujus ſacra memoria in Martyrologio die 25. Iunij annotatur. Is cùm plurima in Italiâ, præſertim in Neapol. Regno inſtituat ſui Ordinis Domicilia, tum hoc in primis, quod reliquorum eſt caput. Fuit hic olim Ethnicorum Fanum Cybelæ, quam Deorum Matrē fabulabantur, erectum, ut conſtat ex Itinerario Antonini Pij. Mons verò ipſe Virgilianus vocabatur à Virgilij Poëtę prædio, qui ejus loci accola aliquando fuiſſe dicitur; deindè Cybeles ſuperſtitione deleta, veræ Dei Matri Templum S. Guilielmi operâ extructum ab Epiſcopo Avellini ſolemni ritu eſt conſecratum, Honorio II. Summo Pontifice anno reparatæ ſalutis 1126. menſe Majo, die ſacro Pentecoſtes; ex quo factū eſt ut ſingulis an. eo ipſo die maximâ omnium utriuſq; ſexus Fideliū concurſatione hoc Deiparæ Templū celebretur. Innumerantur enim interdùm, qui eò confluunt, ad ſex circiter hominum millia. Eo porrò in loco alijs cibis, quā ijs, quibus in Quadrageſimâ veſcimur, uti licet; quod miraculis ſæpè comprobatum eſt. Quare ſi quis illùc deferat carnes, ova, caſeum, & ſimilia, ſive id caſu, ſive oblivione, ſive ignoratione fecerit; repentè cœlum ipſum excandeſcit, in gentes pluviæ ac procellæ excitantur. Extat eâ de re libellus ſcriptus à quodam ejus Familiæ alumno. Imago verò Virginis, quæ Templo nomen dedit, auguſtâ ſpecie, atque humanâ majore formam refert ſedentis in Throno, Puerum Ieſum in gremio conſovertis. Septem Angeli ſub Thronum Chriſto, ejuſque Genitrici aſtare, & illi ipſi videntur eſſe, de quibus Tob. 12. *Ego ſum Raphael Angelus unus ex ſeptem, qui aſtamus ante Dominum.* Et Apoc. 1. *Gratia vobis & Pax à ſeptem ſpiritibus, qui in conſpectu Throni ejus ſunt.* & quamvis ſex tantùm appareant, ſeptem tamen eos eſſe non negabit, qui ſedentis Virginis ſitum à latere deflexum contemplatur; omninò enim pictura

Nn 2 ratio